

28
I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO ETHICA,
De

AFFECTIBUS,

QUAM

Divinâ adjuvante gratiâ,
PRÆSCITU AMPLISSIMI
SENATUS PHILOSOPHICI,
SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Clarissimi atque Excellentissimi

DN. M. JOHANNIS *Weissen*

ETH. & POL. PROF. ORD. MERITISSIMI,

*Actus Magisterialis futuri PROMOTORIS ritè
designati,*

PRÆCEPTORIS SUI PLUS QUAM FILIALI AMORIS AC
REVERENTIÆ CULTU ÆTERNUM DEVENERANDI,

*Pro HONORIBUS ac PRIVILEGIIS MAGISTERIALIBUS
ritè & legitime consequendis,*

Publico omnium ac singulorum candidè Philosophantium examini
ventilandam subjicit

JOHANNES LUDOVICUS WENCELIUS,
Grünstadio-Leiningensis.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO, *horis locoq. consuetis,*
AD DIEM JULII, ANNO 1668.

••••• (*) •••••

SSeA, Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad. Typogr. Ord.

Philos.

C.

338

INDIC
DISPUTATIO ETHICA

AFFERTIBUS

DISPUTATIO ETHICA

DE

DISPUTATIO ETHICA

DE

DISPUTATIO ETHICA

DISPUTATIO ETHICA

DISPUTATIO ETHICA

DISPUTATIO ETHICA

DISPUTATIO ETHICA

DISPUTATIO ETHICA

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



JOVA JUVA!

P R O O E M I V M.

UM ii demùm felices
 sint, *qui in hac vitâ*, ut Nys-
 senus lib. de beat. orat. 2. ait,
ad perturbatos, & vitiosos
animi motus non proclives,
precipites, atque propensi, sed *ratione sedati*
sunt; in quibus ratiocinatio, veluti frantum
quoddam, impetus reprimens, non sinit ani-
mmum ad immodestiam, insolentiam & per-
turbationẽ rapi atq; efferrì. Omnino operæ
pretium me facturum puto, si nobilissimã
hanc & cognitu valdè necessariam de Af-
fectibus materiam, loco inaugurali, brevi-
 ter exponam. Tu ô Alme Pater adesto Spi-
 ritu Tuo Sancto, ut omnia ad nominis tui
 gloriam & nostram salutem vergant, per
 Dnum nostrum Jesum Christum, Amen.

A 2

SECTIO

4

SECTIO I.
De Affectibus in genere.

THESIS. I.

RES easdem sub diversas cadere disciplinas, quæ illarum objecta sunt materialia; sed quæ formalia, non nisi sub unam, docet Zabarella Oper. Log. lib. I. de Nat. Log. c. 15. p. 39. & lib. 2. cap. II. Exemplo nobis est egregia illa de AFFECTIBVS doctrina, quam non solum Ethicus, sed & Physicus, & Rhetor tradunt, etsi modo considerandi diverso: *Physicus enim considerat affectus, quatenus sunt affectiones animalis, ac naturales illorum causas exponit. Rhetor de illis agit, quatenus conducunt ad persuadendum; atque ut tum moveantur, tum sedentur, explicat. Ethicus autem illos tractat, quatenus sunt honestatis & virtutis capaces; ac, mediocritas ut in iis seruetur, docet.* Vossius in Rhet. contr. lib. 2. cap. I. p. m. 95. quæ posterior acceptio hujus est loci.

THESIS. II.

Cum autem omnis, quæ à ratione suscipitur institutio de re aliquâ, à definitione debeat proficisci, ut intelligatur, quid sit, de quo disputatur, teste Oratore I. offic. propterea eandem prius examinabimus. Estque duplex, vel Nominis vel rei. Quarum priorem Etymologia, Homonymia, & Synonymia absolunt.

THESIS. III.

Quoad Etymologiam, AFFECTVS dicuntur ab *Afficiendo*, quod idem est, ac *permoveri*, aut aliquid *pati*; hinc Scaligero dicuntur tum *motus animi*, quod animum
quasi

5

quasi permoveant ad actiones scilicet externas; tùm *passiones*, quas Græci *πάθη* vocant, quoniam ejusmodi appetitus sensibili solent fieri per alterationem aliquam corporis, ut per calefactionem aut rarefactionem, sanguinis dilatationem aut contractionem Spirituum vitalium aut per ejusmodi alias *passiones*. Castanæus in dist. Philof. in voce *Passionis*.

THESES. IV.

Circa Homonymiam observandum, *Affectum & Passionem* duplici sensu sumi. (1) pro ipsa commotione appetitus sensitivi, quæ actioni respondet, & est in prædicamento *Passionis*. (2) pro termino seu qualitate per commotionem animi productâ, & sic est in prædicamento *Qualitatis*. Quæ posterior acceptio hujus videtur esse loci. Vide *Museum diss. de Affect. nat. §. 2.*

THESES. V:

Synonymiam quod attinet: *AFFECTVS* Græcis *πάθη*, Ciceroni *perturbationes*, aliis *passiones* dicuntur. Augustinus *animi motus* vocat, tract. 46. in Iohan. *Affectio- nes nostræ*, inquit, *motus animorum sunt, letitia animi diffusio, tristitia animi contractio, cupiditas animi progressio, timor animi fuga est. Diffunderis enim animo, cum delectaris; contraheris animo, cum molestaris; progredieris animo, cum appetis; fugis a nimo, cum metuis.* Zeno apud Stobæum, *volatus animi* appellat, propter celeritatem, & animi promptitudinem. Aliis aliter dicuntur. Nobis, quia breves esse studemus, hæc quoad definitionem nominalem sufficiant. Sequitur definitio realis.

THESES. VI.

Variè à variis definiuntur *Affectus*. Aristoteles. 2. Rhet. cap. 1. dicit, *esse mutationes animi cum voluptate & dolore*

dolore conjunctas. Plato, ut est apud Alcinoum de doctr. Plat. c. 32. dicebat, esse motus animi sine ratione natos ex bono aliquo aut malo. Zeno Princeps Stoicorum ita definebat affectum animi: Πάθος ἐστὶν ἡ ἀλογὸν κατὰ φύσιν κίνησις, ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα, ut testatur Diog. Laërt. in Zenone. *Perturbatio est vel aversa à ratione contra naturam animi commotio, vel brevius, Appetitus vehementior,* ut Cicero definitionem Zenonis interpretatur 4. Tusc. q. de quibus vide Horn. lib. 2. cap. 6. n. 3. Nobis placet illa, quam habet Vernulæus Instit. Moral. lib. 2. tit. 1. cap. 1. p. m. 126. *Affectus sunt commotiones quedam sentientis appetitus ex objecta boni vel mali specie provenientes, cum aliqua spirituum seu corporis agitatione.* In quâ definitione (1) Genus, (2) Subjectum (3) Objectum (4) Finem considerabimus. (5) Ποσειδάων nonnulla de Affectibus in genere explicabimus. Et (6) tandem generalem Affectuum divisionem dabimus.

THESES VII.

(1) *Genus* sunt commotiones, quia iis mediantibus animus noster quasi commovetur. Non ergo sunt vel *anima* ipsa, vel *potentia* seu *facultas anime*, vel *habitus*. Non *habitus*, quia *habitus* plerunque crebris actionibus acquiritur. Vide Ebel. Comp. Log. l. 1. cap. 10. p. m. 54. Affectus autem ipsius naturæ instinctu exsurgunt. Non *Potentia anime*, utpote quæ ita nobis semper inest, ut nullam unquam experiatur mutationem, aut in malas evadat; cum tamen contra Affectus mutationi subjaceant. Eadem ratione nec *anima* ipsa dici potest.

THESES VIII.

Hic contra *Stoicos* acriter pugnant *Peripatetici*, num affectus sint nudi motus, num verò motus cum vitiositate

tate

tate conjuncti? Quod posterius quamplurimi affirmare videntur Stoici, in vitis Peripateticis; sed perperam. Passione enim (1) benè & malè uti possumus, talis ergò, ut sit indifferens, necesse est. (2) Quia negatis affectibus, negantur etiam virtutes: Hinc Seneca l. 1. de ira, cap. 7. *Sine Affectibus languet omnis actio, & vis ac vigor animi resolvitur.* Et Lipsius l. 3. Manud. cap. 7. *sine irâ fortitudo non erit, sine metu prudentiâ, sine cupidine temperantia, sine letitiâ sensus amorque virtutis.* Meliùs ergò loquuntur Academici: nam hi, dum appellatione suâ complectuntur nudos animi motus, sistunt ea, quæ his per se insunt; Illi verò definitione implicant & motum ipsum, & quæ ei accidunt, atque adeò ea, quæ inter se sunt distinctissima, & nullo modo confundenda, permiscent. Aliud siquidem est *motus, quâ talis*, & aliud est *motus exorbitans*, seu *exorbitantia*, ut dicit Itterus lib. 2. cap. 2. Synop. Phil. Moral. quæst. 1. p. 52.

THES. IX.

Insuper probè notanda est distinctio, inter Affectus *simplices*, & *mistos* seu *compositos*, quos Stoici perperam confundunt. *Omnes enim motus animi*, ut ait Horn. lib. 2. c. 6. n. 4. *sive excurrant sive in officio contineantur, conveniunt inter se, quâ motus sunt, & quatenus habent, quæ per se ad essentiam motus spectant: quod autem excurrant, competit eis, non quâ motus sunt simpliciter, sed quâ motus vitiosi, sive quatenus imperium rationis detrectant.* Equidem negari non potest, interdum animi motus iis vocibus designari, quæ, si ab usum potius earum quàm usum spectare velis, non tam affectum ipsum solum, quàm simul exorbitantiam aliquid quam denotent. Sed tùm vox ab equivocatione liberanda est, si potest;

si potest; sin jã nō purum putum affectū significare dicetur, sed affectum vitiosum. Et paulò post n.9. egregiè porrò rem explicat. Ejusmodi sunt invidia, Ἰνιδία, emulatio, impudentia & similia, quorum eadem est ratio, quæ nonnullarum etiam actionum, puta scortationis, adulterii, furti &c. id est, plus sunt, quàm simplices affectus: sicut enim scortatio, furtum &c. non sunt actiones tantum, sed actiones exorbitantes & pugnantes cum rectã ratione. ita etiam invidia, Ἰνιδία, & si quid simile afficit animum, non sunt affectus solum, sed affectus à rectã ratione exorbitantes. Nō ergò sequitur: Omnes affectus exorbitantes ab honestate mali sunt. E. Affectus simpliciter est aliquid malum. Vel: Invidia est mala sive affectus malus. E. Affectus aliquis est malus quatenus affectus. Nec obstat Præceptum Christi Matth. 5. 21. immoderationem enim Sacra prohibent Biblia, non rem ipsam, Pl. 4. Ioh. 8.

THESES. X.

(2) Subjectum affectuum vel est quod, vel quo. (1.) Subjectum Quod statuitur animal. (2) Subjectum Quo est anima sensitiva, ut rectè disputat Colleg. Conimbr. disp. 6. Ethic. q. 3. art. 1. & quidem respectu appetitûs sensitivi: Affectus enim versantur circa objectum non sub ratione veri aut falsi, sed boni vel mali, id quod facultatis non cognoscentis, sed appetentis est. Hinc Arist. 1. Topico- rum, ait, *timorem & iram in irascenti appetitu reperiri, voluptatem & tristitiam in appetitu concupiscenti.* Et 2. de anima. Animalia, inquit, omnia habent unum è sensibus tactum. Cui autem sensus inest, huic letitia & tristitia, suave & molestum convenit; quibus autem hæc, iis & concupiscentia. Sunt qui singulis affectibus peculiare sedes tribuunt, unde hi versiculi:

Cor

9

*Cor sapit, at pulmo loquitur, fel commovet iras,
Splen videre facit, cogit amare jecur.*

Sed hæ non tam sedes sunt, & affectuum subjecta; quam organa & incitamenta per temperamenta sua, & causant, ut ad hos vel illos affectus magis simus proclives.

T H E S. X I.

Hic iterum Peripateticorum sententiæ subscribens, meum erit, cum Dn. Hornejo, Celeberrimo Rudrauffio, Præceptore atque Patrono summè colendo, Instit. Mor. de Aff. p. m. 85. nec non cum Vernulæo & aliis quamplurimis affirmare, *Affectum ad animam sensitivam, non ad animam rationalem vel ad mentem & voluntatem spectare, & quidem ad appetitivam, non ad cognoscitivam facultatem pertinere.* Priorem assertionem probo: (1.)

Quia motus voluntatis, ut fit sine organis corporis, ita quoque sine ejus passione; Affectus autem non fit sine corporis mutatione. (2) Quia sæpè fiunt & exurgunt affectus invitis, præter voluntatem, quod non fieret, si essent in voluntate. (3) Affectus etiam reperiuntur in brutis, ubi nulla est animæ rationalis facultas. Et quamvis à voluntate excitentur, moveantur, dirigantur; non tamen sunt in eâ, ut subjecto, quæ duo sunt distinctissima, ut ostendit laudatus Hornejus l. c. n. 5. *Posteriores, quòd scilicet Affectus ad appetitivam, non cognoscitivam animæ sentientis facultatem pertineant, confirmo hoc modo: Quia omnes affectus objectum suum aut sub ratione boni appetunt, aut sub ratione mali averfantur.*

T H E S. X I I.

(3) *Objectum affectuum est bonum vel malum, antea præcognitum: Quod enim cognitum non est, nec*

B

objici

objici potest, nec appeti, juxta illud: *quod latet, ignotum est, ignoti nulla cupido.* Homo enim seu animal per sensum objectum id, quod sensibile, cognoscit, cognitum sub ratione boni vel mali judicio examinandum submittit, & hoc si bonum ei appareat, appetit; si malum, averfatur. Hinc jam oritur appetitus sensitivus, quo animal vel ad persequendum illud, si bonum, vel ad fugiendum, si malum, excitatur: hujus equidem natura est ea, quæ bona & salutaria, amplecti; quæ mala & noxia, averfari.

THESES. XIII.

Cùm jam dictum, quòd objectum sit *bonum*, in mentem revoco illam distinctionem, quòd *bonum* vel sit *verum*, vel *apparens*. *VERVM* est, cui inest verè talis convenientia, qualis ei inesse existimatur. *APPARENS* est, cui non inest verè talis convenientia, qualis ei inesse aestimatur. Vide Comp. Met. Dn. Præs. de bonitate c. 5. p. m. 65. Nil a. refert, sive bonum illud pro diverso hominum judicio, sit verum, sive apparens: Si enim hominis judicium est sanum, verum expetit bonum, verumque detestatur malum; Si pravum, in apparentis ceu veri boni amorem sæpiùs fertur, quod sub specie boni appetit; & malum apparens pro vero malo averfatur, etiamsi reverà tale non sit.

THESES. XIV.

(4.) *Finis* est vel (1) *ultimus & generalis*, gloria scil. Dei. Vel (2) *propinquus*, utpote animalis in hac vita conservatio. Nam vel idcirco à naturâ concessi sunt, ut per eos bonum prosequamur, malum fugiamus, in quibus duobus conservatio omnis continetur, ut testatur Vernulæus Inst. Mor. l. 2. tit. I. c. I. Vel (3) *proximus*, ut sint a-
ctionum

tionum humanarum adminicula, virtutum calcaria: Sine Affectibus enim languet omnis actio, & vis ac vigor animi solvitur, ut dicit Seneca lib. 1. de Ira, cap. 7. Hinc Philippus Melanchton Epit. Phil. Mor. pag. 52. Affectus, inquit, sunt actionum humanarum adminicula, virtutum calcaria, ne velut truncus, velut segnis torpeat asinus: ut enim equus per sese velox facilius incitatur; ita facilius regit ratio voluntatem, quæ adjuvatur & extimulatur à bono affectu. Imò ita demum fit perfecta virtus, cum voluntas & affectus pariter rationi obtemperant. Quare sciendum est, non omnes affectus pugnare cum virtute; sed quosdam esse virtutum incunabula seu adminicula. Hactenus Melancht. Heereboord. Coll. Eth. disp. 13. p. 58. Finis, inquit, affectuum est actionum alacritas: quicquid enim sine affectu fit, segniter fit, remisse & cunctanter: at quod cum & ex affectu fit, promptè, alacriter, expeditè efficitur atque peragitur. Quia ex sapienti Numinis consilio animus humanus in corpore esset commoraturus, indidit homini Deus hanc affectuum facultatem, ut iis veluti quibusdam stimulis ac calcariis excitaretur ad bonum, iisdem veluti freno cohibere, ne in noxia rueret.

THES. XV.

Malè itaque faciunt Stoici, qui ex naturâ affectus deturbare, mediocritatem eorum rejicere, & tanquam morbos animi exulare in universum à viro Sapienti volunt, ut refert Lactantius Inst. lib. 6. c. 14. Sunt enim instrumenta quædam virtutis exercendæ. Deinde naturales sunt hominibus affectus, quomodo igitur ab hominis alicujus animo extirparentur? Imò verò qui affectus tollit, virtutes ipsas tollere videtur. Nam si virtutis est, in

medio iracundiæ impetu sese cohibere, utique virtute hac destituetur, qui iracundiâ carebit, iudice Vernulæo Inst. Mor. lib. 2. tit. I. cap. 5. p. m. 137.

Πορίσματα.

(I.) *Affectus non sunt opiniones.* Differunt enim: (1.) Quia opinio est in animæ rationalis facultate cognoscente, videlicet intellectu; Affectus autem in animæ sensitivæ parte appetitivâ est. (2.) Quia neutri alterius definitio jure meritoque attribui potest. (3.) Quia opiniones semper languidæ sunt; Affectus autem sæpe vehementissimi. (4.) Quia opinio sine ullo cordis motu concipi potest animo; Affectus autem sine cordis commotione non existunt. *Interea hoc libenter largimur Stoicis, affectus vix quidem esse sine opinione, sine judicio: sed ipsos affectus vocare opiniones tantum, & judicia de bono & malo, est abuti vocabulis, quod Stoicis non est infrequens.* Vide Heereboord. Coll. Eth. disp. 12.

(II.) *Affectus sequuntur temperamentum.* Experientia docet, quòd homines pro variâ corporis temperie, variam quoque ad hos aut illos affectus pronitatem nanciscantur: Videmus enim & notamus *sanguineos* proclives ad lætitiâ & amorem: *Melancholicos* ad tristitiâ: *Biliosos* ad iram: *Phlegmaticos* ad metum: Non tamen *necessariò & immutabiliter*, sed *contingenter & mutabiliter*, ita ut rectâ disciplinâ, congruente educatione & assuetudine emendari possint, ut dicit Dn. Præf. Coll. Eth. disp. de Affectibus. Exemplum Socratis evidenter hoc ostendit, quem Physiognomus ex temperamento judicavit obtusum, malevolum, libidinosum &c. qui tamen postquam compescuerat eam naturæ
inclina-

inclinationem, & doctrinâ morum in meliorem mutaverat, ab oraculo αὐθγαῖν σφώτατος dictus fuit.

(III.) *Affectus cadunt in virum bonum.* Quæ enim per naturam insunt omnibus hominibus, viro bono quoque insunt. Imò Viro etiam Ethico propositus est finis, E. & medium ad finem perducens, scilicet virtutes. cum autem virtutes circa affectus versentur, sine eis consistere nequeunt. Atque hoc est, quod Augustinus lib. 14. de civ. Dei cap. 5. probat, etiam in Christianum, nedum in sapientem affectus cadere, cujus hæc sunt verba: *In disciplina nostra (scil. Christianâ) non tam queritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat: Irasci enim peccanti, ut corrigatur, contristari pro afflictio, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat; nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat.* Hæc ille. Et quis, quæso, affectus in sese reprehendet, cum etiam in Servatore nostro, omnium sapientissimo nonnulli sint reperti? Joh. 15. v. 9. 10. ardet amore Patris & hominum. Joh. 11. v. 35. tristatur ob mortem Lazari. Luc. 10. v. 21. lætatur ob successum Evangelii. Cadunt ergo *Affectus* scilicet *naturæ* in virum Sapientem, non autem *habitus malitiæ*. Imò caret quidem Vir sapiens affectu, sed *immoderato*, non *omni*.

(IV.) *Est in potestate hominis, affectus moderari.* Quod si non esset, frustra futuræ essent omnes leges de affectibus sedandis, immoderatisque fugiendis latæ; imò frustra futura esset tota virtutum vitiorumque doctrina, quam Ethicam appellamus. Præterea divinæ vocis oraculum est, *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei.*

Quæ omnia frustra essent, si, affectus moderari, in hominis potestate non esset. *Difficilis* quidem est (quod libenter largimur adversariis cum Excellentissimo Dn. Præside in Coll. Eth. disp. de Aff.) moderatio *affectuum*, sed non planè *impossibilis*: certum quoque est, voluntatem non rarò succumbere, veruntamen *sine necessitate* ab affectibus illatâ, sine ullâ eorundem *coactione*; sed *liberè* statione suâ desertâ, hosti cedendo.

(V.) *Affectus DEO competunt*. Hoc ipsum testatur Scriptura Sacra, dum Deum irasci, amore pios & odio impios prosequi affirmat; Verùm diligenter notanda est regula Theologorum: *Quæcunque à creaturis ad creatorem transferuntur, illa prius ab omni imperfectione sunt liberanda*. Affectus igitur, qui in propriâ suâ formalitate aliquam imperfectionem dicunt, de Deo propriè dici non possunt. Quod tamen affirmavit olim plenis, quod ajuunt, faucibus Vorstius, quando dicit, Deo convenire desiderium, spem, metum, poenitentiam & tristitiam, qui omnes affectus meram in suo formali involvant imperfectionem. Verùm qualis blasphemia, Dei sic adulterare perfectionem, majestatem, beatitudinem? Etenim quid affectus commemorati, juxta Vorstium aliud sunt, quàm accidentia? Deo a. qui propriè tribuit accidentia, perfectionem illius apertè impugnat. Inferunt etiam citati affectus passionem, quam de Deo cogitare, nedum asserere, est nequissimis ineffabilem Dei Majestatem conspurcare blasphemias. Quando autem affectus hi in Scripturis de Deo dicuntur, eos non in propriâ formalitate, sed *ἀνθρώπων πνεύματι* de Deo affirmari statuimus.

(VI.) *Affectus cadunt in bruta*. Hæc cum opinari
non

non possint, nec affectus participare, ac proinde solum hominem, cuius est ratio & opinio, affectuum capacem esse, Stoicorum delirium est. Quod autem affectus in bruta quoque cadant, apud sobriè Philosophantes pro indubitato est. (1) Experientia enim testis est, animantes rationis expertes amare, odisse, sperare, metuere, quod negare velle, est nihil aliud, quàm sensuum testimonia in dubium vocare velle. (2) In brutis est genuinum affectuum subjectum, de quo actum fuit th. 10. quapropter nec ipsi affectus naturæ brutorum repugnant. Vid. Wendelin. phil. pract. l. 1. app. 2. c. 36. q. 6. §. 26. seqq.

SECTIO II.

De Affectibus in specie.

THES. I.

ET hætenus de *Affectibus in genere*, nunc etiam in specie de illis breviter agemus: Ordinem autem Affectuum una cum Thoma 1. secundæ q. 25. art. 3. cuius ductum sequitur Hornejus lib. 2. c. 6. talem constituimus. Primo loco in animo nostro nascitur *Amor* (si objectum est bonum,) *Odium* (si est malum,) Amorem deinde excipit *Desiderium* sive *concupiscentia*, odium verò *Fuga* & *Aversio*. *Desiderium* porrò & *Fuga* comites habent *Spem* & *Desperationem*. Illam cum rei, cuius desiderio tenemur, compotes fore confidere possumus: hanc cum planè rem posse obtineri desperamus. *Spes* excitat *Audaciam*, *desperatio* verò *timorem* sive *metum*. *Audaciam* excipit

cipit

cipit *ira*, si scilicet illa cum spe & odio concurrat. Ultimo tandem loco sequuntur *gaudium sive delectatio, & dolor sive tristitia.*

THESES. II.

AMOR est concupiscentis appetitûs commotio ex objectâ boni specie seu cognitione proveniens. Dico appetitûs concupiscentis: nam si placeat voluntati, dilectio propriè vocatur; hòc enim dilectio ab amore distat, quod cum electione fiat, adeoque in solâ voluntate & rationali naturâ sedem habeat. Distinguitur amor in amorem concupiscentiæ & amicitia. Amor amicitia est, cum alicui optamus, quæ bona existimantur, eademq, pro viribus efficere studemus, non nostri sed ejus causâ, quem amamus. Vbi tres cautelæ observandæ sunt: (1) Vt alicui optemus bona. (2) Vt, quæ bona judicamus, ea non optemus tantùm, sed etiam pro viribus procuremus. (3) Non propter utilitatem propriam, sed illius causâ, quem amamus. Verus namque amicus benè vult alteri non propter se, sed propter ipsum, ut 8. Eth. cap. 2. text. 4. habetur. Amor concupiscentiæ contra sese habet: Est enim nihil aliud, quàm si bonum aliquod appetitui sensitivo placeat. Quare etiam in utile & jucundum tantùm fertur; imò in res etiam inanimatas, quorum utrumque aliter se habet in amore amicitia. Oritur autem amor ille concupiscentiæ, de quo hùc quaestio tantùm est, non tam ex convenientia & similitudine rei cum illo, à quo amatur, quàm ex convenientiâ cum inclinatione ejus: hæc enim appetitionem efficit. Vide Horn. l. 2. cap. 6. Franc. d' Abra de Raconis Eth. Sect. 2. de Passionibus. Differt amor ab amicitia, quòd amor fit, etsi quis non redamet: in amicitia verò fit amor mutus

tuus

tuus : Unde Aristoteles rogatus, ut dicit Laërtius in vita Arist. quid esset amicus, pulchrè respondit , *μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικῶσα.*

THES. III.

ODIUM est appetitûs concupiscentis affectus ex objectâ mali vel presentis vel futuri specie proveniens. Vernul. Inst. Mor. l. 2. tit. 3. c. 1. Sunt, qui odium iram inveteratam dicunt, quam definitionem Scaliger rejicit, cùm odium nec ira sit, nec inveterata semper: Differt enim odium & ira: (1) Quòd ira illis rebus concitetur, quas unusquisque ad se aut suos pertinere censet: Odiũ verò etiam iis, quas ad se non judicat pertinere, quomodo & eum odimus, qui nunquam nobis nocuit. Exemplo nobis est illud à Poëtâ notatum:

Non amo te Volusi, nec possum dicere quare:

Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Præterea ira semper adversus est singularia, odium autem etiam adversus genus. (3) Ira etiam tempore sanabilis est, odium insanabile. Objectum est malum, quia appetitui non est conveniens, & sicut amor contrariatur odio, ita contrarias habent causas & objecta. Dividitur in odium inimicitiae & abominationis; hoc causam & objectum dicitur habere rem malam; illud personam.

THES. IV.

DESIDERIUM est affectus appetitûs concupiscentis intensius tendens in bonum absens. Causa seu objectum est quidem bonum, sed absens. Unde differunt desiderium & amor (1) ratione objecti: Desiderium enim est boni absentis; Amor a. boni presentis, ut testatur Prop. lib. 2.

*Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido,
Si nescis, oculi sunt in amore duces.*

C

(2) ratio.

(2)ratione gradus : desiderium enim intensius fertur in bonum,quàm amor.

THESES. V.

FUGA est concupiscentis appetitûs affectus ex objectâ mali absentis specie proveniens. Objectum est malum absens, unde vicissim patet, quomodo differat ab odio, quod est mali præsentis. NB. Non autem est mali absentis fuga, ut manet nobis absens; sed ut nobis videtur imminens, appropinquans, periculum minitans, unde ita movetur animal, ut cor contrahatur, & spiritus intro revocentur, ad superandum & declinandum imminens malum, ut notat laudatus Dn. Rudrauffius, l.c.

THESES. VI.

SPESES est irascentis appetitûs commotio ex objectâ boni futuri specie proveniens. Quatuor autem conditiones ad naturam spei rectius intelligendam requiruntur. (1) Ut sit bonum: speramus enim bona, timemus mala. (2.) Ut sit futurum; cum enim præsens est, non amplius speramus; & in hoc differt à gaudio. (3) Ut sit cum difficultate conjunctum: quod enim quis facile consequi potest, non tam sperat, quàm habere jam se putat; & in hoc spes à desiderio differt, quod nullam sibi difficultatem repræsentat. (4) Ut sit obtentu possibile: impossibilia enim concupisci quidem, sperari verò non possunt.

THESES. VII.

DESPERATIO est irascentis appetitûs affectus ex objectâ boni futuri, quod haberi non posse videtur, specie proveniens. Estque vel licita, vel vitiosa. Licita oritur ex eo, quòd difficultates bonum desideratum circumstantes vinci & removeri non posse videantur. Vitiosa oritur potissi-

potissi-

potissimum ex eo, quòd quis delictorum veniam, vel auxilia ad salutem nulla amplius expectet. Unde fit, ut desperatio sit animæ homicida, ut divus Augustinus ait. Vel certa mors, ut D. Ambrosius affirmat. Tanta quippe vis ejus est, ut ad vim sibi inferendam, naturamque violandam impellat, quo quidem nihil esse terribilius potest. Hâc vice loquimur non de posteriori, quæ virtuti opponitur; sed de priori, quæ in numero affectuum collocatur, ut docet Dn. Præses Diss. mor. de affect. th, 43. Add. Vernul. Inst. Mor. lib. 2. tit. IX. cap. 1. & 2.

THESES. VIII.

AVDACIA (sumitur aliquando pro affectu, interdum pro fortitudine, nonnunquam etiam pro vitio: hîc illam pro affectu capimus) est irascentis appetitûs commotio ex objectâ specie absentis mali, superari quod potest, proveniens, & ad illud propulsandum excitans. Hinc Arist. 2. Rhet. cap. 5. eos audaciores esse dicit, qui putant, propitio se numine uti, potissimum si injuria sint lacepsiti contra justitiam, pro quâ stat Deus. Objectum ejus est *malum arduum superandum*, & superato malo *bonum obtinendum*.

THESES. IX.

TIMOR est irascentis appetitûs affectus ex objectâ mali futuri & imminentis specie proveniens. Seu, ut Vossius in Rhet. Contr. l. 2. c. 2. definit, *Metus*, inquit, est animi agritudo ex imaginatione futuri mali, quod nobis, aut nostrorum cuiquam interitum aut dolorem adferat, præsertim si imminere nobis videatur. Ex quâ definitione cognoscimus, duas esse periculorum conditiones, quæ metum adferant. Una est, ut interitum aut dolorem adferant; altera ut malum immineat. Generalis timoris causa est

C 2 malum

malum: hinc Seneca Epist. 75. Deum, ait, timendum non esse, cum malū nō sit, sed agit de timore servili, docēte Vernulæo Inst. Mor. lib. 2, tit. 10, cap. 1. Præsupponit autem timor non tantum cognitionem mali, sed etiam boni illius amorem, quod per malum, quod timetur, excindendum judicatur. Hinc Augustinus, Nulli dubium est, non aliam metuendi esse causam, nisi quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.

THESES. X.

Ira est appetitio cum dolore conjuncta vindictæ sive ultionis propter eam, quæ apparet, parvipensionem vel in se, vel in suorum quempiam non convenientē. Horn. l. c. Parvipensio a. illa est triplex, despectio, incommodatio, & contumelia seu injuria. Despectio etiam est sine impedimento. Incommodatio est cum impedimento; & fit, non quidem, ut ipse quis utilitatis aliquid acquirat; sed ne alius, quod cupit, consequatur. Contumelia est, cum quis, voluptatis suæ gratiâ, alterum afficit dedecore. Fundamentum iræ est contemptus. Quamvis autem iracundia & ira non rarò confundantur, tamen propriè si loqui velimus, inter se differunt: Ira propriè est seu affectus ipse; Iracundia verò vel proclivitas & propensio naturalis ad iram vel habitus ipse vitiosus est. Sen. l. 1. de Ira. c. 4. & Cic. 4. Tusc. quæst.

THESES. XI.

GAVDIUM sive DELECTATIO est concupiscentis appetitûs affectus ex objectâ boni presentis specie proveniens. Magirus lib. 6. Phys. cap. 16. definit, quod sit affectus, quo se dilatat & extendit cor, amplectendo suaviter præsens bonum. Objectum habet plerumque præsentia bona, à quibus

quibus & definitio, quæ tamen non generatim vera est, ducitur. Nam & recordatione præteritorum & futurorum perceptione sæpe numero lætamur. Scalig. Exerc. 317. sect. 2. In his v. ait, bonis acquiescit gaudium, non quatenus præterita & futura, sed quatenus præsentia quasi animo sistantur & offerantur. Verùm hoc pacto spem & metum quoque futura bona & mala quasi præsentia amplecti & averfari dicere possumus. Objectum itaque bona habet *primariò* præsentia quidem, quod jam dictum, sed *secundariò* quoque præterita & futura. Vide Heiderum Phil. Moral. part. 2. de Lætitia.

THESES. XII.

TRISTITIA seu DOLOR est concupiscentis appetitûs affectus ex objectâ mali præsentis specie proveniens. Scal. Exerc. 316. *Tristitiam definit, esse depressionem animi ex re non convenienti.* Magirus lib. 6. Phys. cap. 6. dicit, esse motum cordis, quo se contrahit & constringit, retractis ad principia sua spiritibus, ut malum præsens evitet. Objectum itaque tristitiæ est *malum præsens*, sive sit animi sive corporis, sive fortunæ, quamvis & *præterita & futura* nos haud raro tristitiâ afficiant. *Præterita*, si malè tibi sis conscius. *Futura*, si poenas delictorum impendere jam perspicias.

THESES. XIII.

Sunt quidem adhuc alii affectus, sed minus principales, & ex principalibus ferè multi dicuntur: ut est *pu- dor & impudentia: Emulatio & contemptus dignitatis: Com- miseratio & inhumanitas: Invidia. &c.* Quorum omnium definitiones & explicationem vide apud Heiderum Wendelinum, Vernulæum, qui hanc de affectibus in specie doctrinam egregiè pertractavêre. Si lubet, poterit

etiam videri Vossius in Rhet. contr. lib. 2. sed ibi magis de illis tractat, quatenus ad Rhetorem, quàm ad Ethicum spectant. Interim nobis hæc, quæ diximus, sufficiant. Cæterùm *agimus tibi gratias vive & vere Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, unà cum Filio tuo coeterno & Spiritu Sancto, quod mentem nostram illuminasti, ut & utilia cogitare & calamo scribere potuerimus. Rege, doce ac mone nos largissimâ tuâ gratiâ, & dirige labores vocationis nostræ, duc nos in veritatē tuā, & quod inchoasti, bonum in nobis opus perfice, quaesumus, ut salutariter in literis proficiamus, & omnes vitæ nostræ cogitationes, actiones & instituta, te dirigente, feliciter succedant, ut ex omnibus tua bonitas, potentia, & gloria elucescat, donec in vitâ futurâ cum omnibus sanctis TE celebremus & collaudemus. AMEN.*

COROLLARIA.

I.

L Aborem Aristotelis non parvi pendimus, sed in omnia ejus verba jurare, id nimium, & non tam pro Aristotele, quàm contra Aristotelelem est, ut docet Clariss. Dn. Sperling. Errant igitur, qui Aristotelem tanti faciunt in Philosophiâ, quanti Scripturam in Theologiâ. Errant, qui plus in textibus Aristotelicis exponendis,

dis,

dis, quàm in arcanis Naturæ inquirendis, impendunt temporis. Nam teste Clem. Alex. *Philosophia non est Stoica, aut Platonica, aut Aristotelica, sed quæcunque ab his sectis rectè dicta sunt.* Nobis ergò amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica Veritas.

II.

Absurdè admodùm philosophatur Plinius lib. 11. Hist. nat. cap. 7. *Imperfecta verò, inquit, in homine natura præcipua solatia, ne Deum quidem omnia posse. Namq; nec sibi potest mortem consciscere, si velit, quod dedit homini optimum in tantis vitæ malis; nec revocare defunctos; &c.* Certè Deū nō posse revocare defunctos, purū putū est mendacium. Quod a. attinet, quòd non possit sibi mortem consciscere, hoc libenter concedo: verùm hoc imperfectionem & contradictionem implicat.

III.

Subtilis admodum Javellus, qui ideò
negat

negat affectones seu passiones entis non esse reales, quia ab Ente realiter non distinguuntur: cùm hoc, quo reales sint, necesse non sit, veluti omnipotentia Dei aliaque ejus attributa verè realia sunt, à Deo autem re ipsa non distinguuntur, teste Clariss. Dn. Ebelio Aph. Met. disp. 1.

IV.

Controversiarum Physicarum normam dicimus esse magnam naturæ librum, quem veteres tribus constare ajunt paginis, & totidem literis. Interim tamen etiam Physicam posse probare suam sententiam ex S. Scripturâ, cum Dnn. Calovio & Sperlingio statuimus.

V.

In hodiernum usque diem persuasum est, quosdam homines quotannis lupos fieri, & certis temporibus ad pristinum habitum redire, quos Germani (teste Camerario cent. 1. Medit. Histor. cap. 73.) *Bärwölff* vocant. Idem quoque Bodinus asserit: nec non Virgilius:

His

*His ego sæpè lupū fieri & se condere sylvis,
 Marim, sæpe animas imis exire sepul-
 chris,*

Atq; satas aliò vidi traducere messes

Nos verò negamus quod homo vi artis
 magicæ possit transmutari in bestiam; te-
 stimonia quidem multa adferunt, quæ
 conservabimus usque ad conflictum.

VI.

Magna est controversia in Politicis, &
 adhuc sub judice lis est, *An judex debeat
 judicare secundum acta & probata, an verò
 secundum conscientiam?* Nos salvâ aliorum
 authoritate, affirmamus, quod secundum
 utrumque.

VII.

Amor cœcus est.

VIII.

Actiones humanæ non pendent ab a-
 stris.

IX.

Accidentis esse est inesse.

X.

Potentia naturales à subjecto possunt
 separari.

Fontes Aonios primis gustasse labellis,
Perfacile est, paucis ritè bibisse, datur.
Postquam, WENTZELI, Sophicorum tempus in arte
Trivisti, captas *Serta Magisterii.*
De Cathedra ingenii vires sub *Præside Claro*
Pande, Tuas cinget comta corolla comas.
Gratulor his ausis, calamo properante, Parentes
Pro Te sollicitos gaudia multa beent!

festinanter ita vovet

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, D.

SErz Wenzel diese Schrift zeugt/wie ihr habt studieret/

Und wovon Euer Thun ihr bisher habe geführet/
Wie nemblich einer soll bezwingen Fleisch und Blut
Das wider die Vernunft gern ringet/tobt und thut.

Nun der hat wohl studirt/ der seinen blinden Willen.

Wann er nach Bösem ringet/kan mit Verstande stillen/

Fahrt ferner also fort/wie ihr bisher gethan/

So nehmt ihr billich den verlangten gradum an.

So werdet ihr dabey die *E. L. E. N. I.* hoch erfreuen /

So werden sich vor Euch viel andre müssen scheuen ;

So werd ihr auff dem Pfad des Herrn Groß Vatters
steht/

Und endlich in die Freud der Außgewählten gehn.

Also wünschet von Herzen seinem liebwehrtten
Herrn Hauß-Genossen und vielgeehr-
ten Freund

PRÆSES.

Nunc regnum interiit multiplicis Stoæ,
Mortalesque tenent pectoribus *παιδῶν*,

Si regnare sinas accipies malum,

Fræno sat facies bonum.

Rectè

*Rectè sic sapias, & post sapias tuus
Te Doctore tuas qui relegunt opes
Cum jam te Cathedra doctaque tum Sophi*

Cingent pulpita te Sophum.

Ita ominab.

PHIL. LUD. HANNEKENIUS, P.P.

Ethicus is meritò, qui garrula labra retentat,
Atque sua immixtis temperat ora lupis.

Ethicus is meritò, qui retrò tendit habenas
Mentis, & affectus scit moderare suos.

WENCELIUS, Sophiæ non infima portio nostræ,
Affectum dextrè justa capistra docet.

Quo cum spumantes animi mentisque tumultus
Comprime, reverà tum Ethicus ipse eris.

Benevoli affectus ergò erga Pereximium Dn. Resp.
Philosophiæ Candidatum meritissimum gra-
tulabundus hæc apponere volui

M. JOHANN JUSTUS PISTORIUS, Ill. Pæd.
Gieß. Pr. Cl.

S Erz Wenzel diese Schrift zeigt was ihr habe ge-
macht

Als ihr so Nacht als Tag mit lesen hingebrecht:
Das nemblich ihr nicht nur nach Kunst habe wollen
ringen

Wie viel thun/sondern auch den Willen lernen zwingt
Durch Regeln der Vernunft: Was ist Geschicklichkeit?
Wann wir darneben thun/was uns heut/morgen reut.

Der hat recht wohl gelernt / der thut/was er studieret/

Der nach dem was er weiß auch statts sein Leben führet;

Und weil ihr dann darnach so viel als möglich ringt /

So ist auch billich/das man Euch ein Kränzlein bringe/

Ein Kränklein/das durch Wiß un Sittē wird erlanget/
 Das inñer grünt und blüht: Geht hin/ihr Albern/pranges
 Mit einer schnöden Lust/diñ gibe Ergeslichkeit
 Wann man mit Ehr und Lob sein Vatterland erfreut:
 Ich wünsche Glück und Heil/und Gottes reichē Segen
 Zu allem Eurem Thun/zu allen Euren Wegen.
 Gott gebe was ihr wünscht! So wird Euch bald zum Lohn
 Ein angenehme Pfarz/und noch ein Doctor-Cron/
 Der Höchste sey bey Euch; Der Höhste helffe rahthen
 Zu allem Eurem Thun/zu allen Euren Thaten.
 Also wünsche Herrn Wenzeln Glück
 Hieronymus Thome/Jur. Licent.

Affectent alii nocituros Cypridis ignes,
 Exoptent alii martia castra sequi.
 Inquirant alii gazas cumulare caducas,
 Deposcant alii splendida dona Midæ.
 Hæccé nihil curas meritò sed inania damnas,
 Ac neque divitias nec fera castra petis.
 Sed juvat Aonios vestigia ferre per hortos
 Castraque Castalidum prosperiora sequi.
 Affectus defende tuos suavissime WENZEL
 Et quæ fers Phoebi fortiter arma gere.
 Sic tibi pro meritis contexentserta Camoænæ
 Nec minus applaudet dexter Apollo tibi.

gratalabundus appof.

M. CHRIST. NASENMANNUS

F I N I S.